

LAUDATIO
IN DIVUM
IVONEM

Coram

ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSIS

In Basilica Divi Stephani Proto-Martyris
DUM
INCLYTA FACULTAS JURIDICA
DIVO TUTELARI SUO

Cultum Annum solenni ritu persolveret;

DEFERENTE
PRÆNOBILI, CLARISSIMO, AC CONSULTISSIMO
DOMINO

**JOANNE CHRISTOPHORO
IGNATIO AIGNER,**

U. J. D. Aulæ, Judiciorumque Advocato, Sac. Cæsareae
Regiaeque Cathol. Majest. Supremi Aulico-Mareschallici Judicij Assessore
nec non Eminentissimi, ac Celsissimi S. R. E. Presbyteri Cardinalis, S. R. I. Principis
& Archi-Episcopi Viennensis de Kollonicz, Consiliario Consistoriali, ac
Inclytæ Facultatis Juridicæ p. t.

DECANO SPECTABILI.

DICTA

A PRÆNOBILI, AC DOCTISSIMO DOMINO
**ANTONIO FERDINANDO
HAYMERLE,**

AA. LL. & Phil. Magistro, J. U. in secundum Annum Auditore
Anno Salutis M. DCC. XXXIX. Mense Mayo, Die XIX.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Excudebat Leopoldus Joannes Kaliwoda.

**EXCELLENTISSIMO,
ILLUSTRISSIMO^{AC}
DOMINO, DOMINO
JOANNI
FERDINANDO**

SAC. ROM. IMP.

C O M I T I

KUEFFSTEIN,

Libero BARONI in Greillenstein, Domino
Dominiorum Retschiz, Kardasch, Zagging-
& Pixendorff,

Sacræ Cæsareæ, Regiæque Catholicæ Majestatis
CONSILIARIO INTIMO ACTUALI,
CAMERARIO,


AULÆ PRO-CANCELLARIO,
INTIMIQUE RESERVATIÆRARIÆ AULICÆ
DIRECTORI,

Nec non in Archi-Ducatu Austriae tam supra, quam infra
Onasum Supremo Hæreditario Supellestis Argentariæ

PRÆFECTO,

Domino, ac Patrono meo

GRATIOSISSIMO.



EXCELLENTISSIME,
ILLUSTRIS^{AC} SIME,
DOMINE, DOMINE COMES
PATRONE
GRATIOSISSIME



Atere leve hoc folium Amplissimo Nomine Tuo gloriari, ut vel sic mean in Te observantiam testari liceat, quando summis Tuis de Romano Imperio, Patria,

Reque publica meritis effecisti, ut Te dignum
dare nil possemus. H abes quidem domestica
Majorum Tuorum decora, quorum suscep*tæ*
pro Patriæ salute cur*æ* grati etiamnum animi
a nobis recordationem postulant, sed cum in
Te intuemur, quæ in aliis divisa vidimus, in
Te uno collecta demiramur. Non commemo-
rabo Illustrissimi Generis Tui claritatem, quam
cum a Majoribus Tuis summam acceperis, ad
posteros majorem transmittis: potes hanc ac-
ceptam Fortunæ debere, Te ipsum alteri debere
non potes: debuerat Sublimis esse Tua nascen-
di Conditio, ne Fortunæ iniuitate lateres:
quanquam, si & hæc defuisse, latere non po-
teras, quando Tua Te merita Fortunæ casi-
bus Superiorem effecerunt. Debet Tibi in-
columitatis suæ partem non modicam Roma-
num Imperium, cuius commoda Sapientissi-
mis Consiliis promovisti, tum maxime, cum
ad complures ejusdem Principes, ac Electores
missus es, ut maxima Tua in rebus agendis
dexteritate summi momenti negotia pro Reipub-
licæ bono conficeres: ubi summa, Tuæque so-
lum Virtuti propria felicitate id consecutus es,
ut, cum Te primum conspicerent, omnium

Tibi

Tibi animos mire devincires : quanta porro
Sapientia , quantoque Imperii totius emolu-
mento hoc munere tam illustri , tamque ar-
duo functus sis , norunt ii potissimum , qui Te
ad res tantas pertractandas delectum sibi etiam-
num gratulantur. Qua vero Integritate , ac
Providentia in amplissimis , quæ nunc admi-
nistras , officiis verseris , vel illud argumento
esse debet , quod Augustissimo Cæsari cumpri-
mis pretiosus existas , Patria vero , ac Respub-
lica , quam tantopere ornas , & promoves , Te
sibi cuperet immortalem. Tot inter Aulæ ,
bonique publici curas exiguum hoc munus be-
nigno aspectu dignare , in quo dum IVONEM
Sanctissimum pauperum Patrem , & Justitiae
Defensorem legis , quid nisi imaginem Tuam
conspicis , qui erga egenos mire beneficus , er-
ga omnes comis , ac facilis , in Judiciis re-
ctus , & integer , æquitatis denique , ac Justi-
tiae amantissimus merito Tuo apud omnes
audis. Superi Te itaque & Reipublicæ , &
Patriæ dulcissimæ , & bonis omnibus quam
diutissime servent incolumem : mihi quoque ,
cui ad hos conatus Nominis Tuo inscriben-
dos , & summa mea Tui observantia , & com-

perta Tua erga omnes Comitas animos addit, indulge, ut æternum dici, & esse possem.

EXCELENTISSIMÆ,
AC ILLUSTRISSIMÆ

DOMINATIONIS TUÆ

Devotissimus Cliens

ANTONIUS FERDINANDUS
HAYMERLE, J. U Auditor.



ORATIO.

Cum Virorum , quos præ
cæteris illustres aliquando fuisse
accepimus , memoriam religio-
fiore cultu prosequi nos oportet , tum eo-
rum præcipue , quos & studiorum ratio ,
& vitæ ipsius institutum nobis arctius con-
junxit . Reverendissime , Perillustris , ac Ma-
gnifice Domine Universitatis Rector ! Præno-
bilis , Clarissime , ac Consultissime Domine In-
clytæ Facultatis Juridicæ Decane Spectabilis ,
Inclyta Facultas Juridica , Senatus , Populus-
que Academice .

Equidem , quantum a Viris , quos om-
nibus retro sæculis minime vulgares nu-
meravimus , in Jurisprudentiam hanc no-

stram dignitatis profectum sit , abunde
semper intellexisse mihi videor , tamen
hodie , cum in IVONEM Juris-Consultum
Sanctissimum oculos conjicio , amplius
etiam aliquid , digniusque deprehendo.
Ea de causa recte , sapienterque a Majo-
ribus nostris constitutum existimo , ut il-
li potissimum annuos honores Ordo hic
noster decerneret , & singularem ante
alios omnes cultum tribuendum judicaret.
Tamen si enim non deessent integerrimi
Iustitiae Praesides , quos non minore , quam
IVONEM , jure nostros diceremus , ego
tamen illorum gloriæ partem non modi-
cam ad alios quoque pertinere , hunc ve-
ro & studiorum similitudine conjunctio-
rem nobis extitisse arbitror , & tanto plus
ab eo splendoris Ordini nostro accedere.
quanto magis non modo proprium nobis ,
sed domesticum etiam , ac familiarem ha-
bemus. Neque enim IVO Ecclesiastico
adscriptus Ordini minus noster dicendus
est , quando Jurisprudentiæ conditio non
humanis duntaxat limitibus definitur.

Talem

Talem itaque, tantumque Virum, tam
proprium Facultati nostræ, domesticum-
que decus laudaturus Orator in eo primum
elaborandum mihi duxi, ut dignum ejus
magnitudine laudationis genus deligerem,
tum, ut ne quid a vobis, atque Ordine
hoc vestro alienum adferrem. Quod tam-
etsi non ignoror, quam cumulate ab
aliis, qui ex hoc loco ante me verba fe-
cere, sit præstitum, tamen, quando de
Divi hujus meritis laudationis argumen-
tum deficere Oratorem nunquam potest,
id agam, ut, quantus IVO fuerit, ex me
quoque intelligatis.

Quod ut clarius oculis vestris objiciam,
binas in partes Orationem omnem disper-
tior, quarum prima IVONEM in ter-
ris olim pauperum, altera vero nunc in
cœlis Amplissimi Juris Consultorum Col-
legii Patronum, ac Defensorem exhibebo.
Quod cum præstitero, perorabo.

Quantum, quamque illustre sit Justi-
tiam tueri, oppressamque defendere, ne-
minem vestrum esse arbitror AA., cui per-
spectum non sit: at vero in Justitiæ de-

fensione sic versari, ut eorum potissimum
procurationem suscipias, qui ob rerum
domesticarum angustias a defensoribus in-
opes esse solent, majus aliquod integerri-
mæ, & ab omni rerum suarum studio
alienæ mentis argumentum existit. Quis
autem unus vestrum in rebus ab IVONE
gestis tam peregrinus est, & hospes, ut,
quibus ille curas suas, conatusque omnes
potissimum addixerit, ignoret? quem
unum latere potest, quantum ab eo in
pauperibus non tuendis modo, sed juvan-
dis etiam, fovendisque sit elaboratum?

Perpendite tantisper cum animis ve-
stris AA. IVONEM duarum Ecclesiarum
Rectorem, duorum Trecorensis Ecclesiæ
Antistitutum Vicarium, a Parentibus præ-
terea & generis claritatem, & substantiæ
vim non modicam indeptum. Quid illi
ad potentiam, quid ad summas etiam
opes congregandas defuisse existimatis?
quis non tacita quadam admiratione de-
fixus hæreat, cum eum victu, quo vix
vitam toleraret, usum, veste tectum
vilissima, re familiari tam arcta, modica-
que

que instructum fuisse intelligit, ut egenus omnino, rerumque omnium inopia pres-
sus videretur? in quos sumptus amplissimæ Parentum substantiæ, in quos ditissimi e muneribus tam claris fructus abie-
runt? in quos vero, nisi in miserorum egestatem omni ope levandam? quid enim spatiisæ illæ ædes ab IVONE conditæ?
quid penus cibaria omni alimentorum genere instructa? quid vestes tanto numero comparatæ? quid verba in foro tanta contentione prolata? quorum hæc com-
moda, quorum auxilia, quorum defen-
sionem spectabant? quorum ille causas in
foro egit frequentius? quorum bona, fa-
mam, & fortunas defendit acrius? a quo-
rum cervicibus interitum sæpius est amo-
litus? quid egenorum ille clamor commu-
nem omnium Patrem appellantium? quid turmæ pauperum ante illius ædes, tan-
quam certum perfugii locum collectorum?
quid festivæ illæ voces, quibus ab IVO-
NE digressi mirifice se recreatos, quin fa-
mam etiam, fortunasque suas servatas læ-
tabantur? Deum immortalem! quid tan-

dem erit miserorum defensionem suscipe-
re , si hoc non est ? quem in egenis ju-
vandis thesauros etiam suos exhausisse di-
cemus , si IVO non exhausit ?

At vero egenorum me defensorem in
IVONE ostensurum receperam , & ad id
delapsus sum , ut etiam Patrem exhibe-
rem . Verum est hæc excelsarum men-
tium domestica quædam virtus , ut tueri
non contentæ , quos ope destitutos vident ,
ad eos etiam omni studio fovendos af-
surgant , quin , quorum fortunas augere
de suis possint , etiam ultro requirant :
Divinæ in hoc menti quam simillimæ , quæ ,
cum ipsa sibi sufficiat , potentiaæ suæ
opæ , ac cumulos mortales ornando de-
monstrat , rogarique gaudet , ut precan-
tium possit vota largiendo superare .

Neque vero tanto pauperum amore
captum fuisse IVONEM quis existimet ,
ut in protegendis eorum rebus Justitiæ de-
esset ; quem enim ille defendit unquam ,
cujus causa æquitate laboraverit ? quam
actionem tuendam suscepit , cujus justi-
tiæ non aut ante perspexerit , aut , si per-
cere

spicere non licuit , eam jurejurando confirmari desiderarit ? an vero hoc Justitiae non cumprimis proprium , agendis æquis simis pauperum causis operam suam sic addicere , ne ob rei familiaris angustias Patronis destituti jus suum exequi non possint ? Ego certe sic existimo , si quid est , quod ad illius integritatem promovendam potest plurimum , hoc esse debere , tantoque plus in eo gloriæ , ac splendoris existere , quanto minor lucri ex ea re capiendi spes , aut cupiditas est adjuncta .

Intelligitis , opinor , AA. quantum intuendis , juvandisque pauperibus IVO defudarit , quorum præcipue commodis non modo amplissimam , qua instructus erat , Jurisprudentiæ peritiam , eloquentiæque vim , qua pollebat , maximam addictam voluit , verum etiam levandis eorundem miseriis opes suas omnes , ac vectigalia exhausit . Nunc ad illud venire me oportet , ut , quantum in IVONE præsidium Amplissimus hic vester Juris Consultorum Ordo in cœlis acceperit , intelligatis .

Vestro hic ego potissimum utar testi-
monio, qui, quantum IVONIS Patro-
cino debeat, & taciti agnovistis sæpe-
numero, & publica etiam confessione te-
statum voluistis. Quid enim frequentif-
simus hic ad colendam annua veneratione
Divi hujus memoriam concursus vester?
quid sacra illa ædes, quam ejus honori ex-
truendam Majores vestri curarunt, quam
vos tanto studio & visitis, & ornatis? quid
innumera alia gratissimi in eum animi ve-
stri monumenta aliud loqui videntur,
quam summis vos ab illo beneficiis de-
vinctos, quanta solicitudine causam ve-
stram etiamnum agat, cultu hoc publico
contestari.

Et vero quidni agat causam vestram
in cœlis IVO, quos, cum inter homi-
nes viveret, tantopere dilexit, quorum
institutum toto pectore complexus est,
quorum in gremio ad insigne illud sancti-
tatis fastigium evasit? quidni Ordinis Ve-
stri curam apud Deum gerat, quem tan-
ta sibi religione addictum, tam promo-
vendi honoris sui studiosum intuetur? Sa-
ne,

ne, si, quibus arctius conjuncti sumus,
qui præ aliis melius de nobis sunt me-
riti, eorum etiam curam, ac studium
ad nos potissimum pertinere arbitramur,
quid defensione Facultatis Vestræ IVO-
NI antiquius esse debeat, non appetet.

Quam vero præclare vobiscum tum
agatur, quamque egregie rebus vestris tan-
to Defensore consultum sit, nemini ig-
notum esse potest, præterquam ei, qui,
aut quantus IVO sit, aut quantam apud
DEUM omnis generis clientes tuendi po-
testatem acceperit, ignorat. Adeone au-
tem non vestri modo, sed & sui imme-
morem IVONEM existimare fas erit, ut,
cum tantum precibus a DEO suis tribui
videat, illis desit potissimum, a quibus
& memoriam suam religiosius agi, & sua
diligentius premi vestigia conspicit? adeo-
ne illius, quam, cum in mortali hac vita
degeret, tanto in pretio habuit, Justitiæ
oblitum credemus, ut illius Defensores
non sibi cumprimis tuendos, fovendos
que arbitretur?

Ego profecto sic existimo, si etiam
cætera deessent omnia, vestris tamen pe-

riculis, vestraque summa in Justitiæ integritatem conservandam voluntate ad vestri amorem, vestrique studium eum incitari oportere. Nunc vero, ubi ordinem vestrum omnem Aris sui advolvi supplicem, seque Patronum, ac Defensorem tanta animi contentionе deposci videt, quid aucturum arbitramini? si accedant vestra in IVONEM merita, si Justitiæ amor, si Virtutum illius in vobis met ipsis exprimendarum studium, quantæ illi curæ non vos modo, sed & res, fortunasque vestras omnes futuras existimatis? quid non dabit supplicibus, quos vel non rogatus gaudet defendere? quid non aget vestris devictus meritis, qui, si etiam hæc abefsent, Ordini se vestro proprium, intimeque conjunctum sua sponte confitetur?

Quanta vero inde in vos bona, quanta in Jurisprudentiam universam commoda proficiisci est necesse! DEUM immortalem! quis vel cogitare, nedum verbis complecti satis queat, quantam sitis in IVONIS Patrocinio felicitatem consecuti? Possem hic ego enarrare amplissima, qui-

bus illius tumulum DEUS illustravit, prodigia, possem recensere summa, quæ in omne hominum genus ab eo collata sunt, beneficia, possem denique commemorare singulares illas gratias, quas dicati ejus nomini Gandavi, Mechliniæque Amplissimorum Virorum cœtus accepere, atque vel ex his, quam in vobis ornandis munificus futurus sit, luculento satis argumento deducere; sed quoniam temporis angustiis ab ea re pluribus pertractanda prohibeor, insignem tamen vestram, quam tanto Defensore adepti estis, felicitatem non possum non vobis impense gratulari.

Pergite porro, Viri Clarissimi! cuius memoriam tanta religione, frequentiaque colitis, ejus virtutes, & summa, quæ in Jurisprudentiam contulit, merita, quemadmodum facitis, imitari. Pergite Patriam Sapientia vestra tueri, Cives servare, Justitiæ integritatem defendere: IVONEM rectissimis vestris studiis faventem, rerumque vestrarum Defensorem habetis. Hic vos Patriæ, bonisque omnibus servabit incolumes, hic conatus, quos pro Patriæ,

Reique publicæ salute summa cum laude
suscepistis , & promotebit , & proteget ,
hoc stante & Jurisprudentiæ studio , & Ju-
stitiæ Defensoribus sua semper constabit
gloria , & integritas , quem , cum in terris
esset , pauperum , postquam cœlo receptus
est , Amplissimi Juris Consultorum
Ordinis Patronum , ac
Protectorem

D I X I.

